Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1761
Quelle:
Copyright:

DCCXXXIV.

U. 176 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 142. f. per duas columnas nitide exaratus et rubricis distinctus, superiore tamen parte humore vitiatus est Collectio *Ascetica* ad Ordinem *Carthusiensem* potissimum pertinens. Continet enim I. *Tractatum de proponentibus religionis ingressum et de anno probationis vsque ad professionem inclusive.* Bipertitus est, *Parte I. Capitibus 30. Parte* II. vero 23. constante, quorum Summaria praemittuntur. Prologi initium est: *Conuertimini ad me et salui eritis. Isaiae 45. Quantum diuina miseratio multis varijsque modis in scripturis* &c. C. 1. etiam de *Parte* III. sermo est, in qua *de modo regendi et habendi se post professionem* tractandum foret. Verum ea in Codice non comparet. Autor nullibi proditur, scripsit tamen post *Nicolaum de Lira*, itaque post Sec. XIV. medium, neque *Carthusianus* fuit; ait enim P. I. c. 7. *In Ordine Carthusiensium, ob cuius nouellorum quorundam fauorem presens opusculum collegi, sicut ab expertis et approbatis in eodem ordine viris didici, difficillimum est solitudo.* Finit Tractatus: *Numquid iterum post veteres declinas mores et consuetudines?*

II. *fol.* 39. sequitur aliud Opusculum tripertitum praevio *Capp.* Elencho, quorum *Pars* I. censet 9. II. 17. III. 21. Prologus ad *Fratrem* dirigitur hoc initio: *Voluntatis mee fuit atque consilij, quatenus mens tua in mari huius seculi multis agitata fluctibus et procellis ad portum magis securum videlicet sancte religionis statum applicaret.* Partium III. argumenta haec sunt: *Prima hortabitur in proposito studendi theologiam permanere. Secunda docet modum studendi magis utilem et meritorium. Tercia vero a quibus vicijs principaliter tibi sit cauendum.* Forma dialogica est inter *Magistram* et *Discipulum*, atque illa huic P. II. c. 2. praeter *Nicolaum de Lira* et *Thomam Aqu.* commendat *duos modernos Doctores Henricum de Hassia et Joh. Gersonem.* Extrema sunt: *pro omni errato siue bonum uel malum sit.*

III. *fol.* 78. *Tractatus*, ut e calce adsumo, *de confirmatione et regula approbata ordinis cartusiensis.* Praemisso *Capp.* 21. Elencho *Caput* 1. incipit: *Legitur Apockal. 12. quod postquam draco traxit terciam partem stellarum* &c. Ultimum finit: *apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant.* Ad quem jam posteriora haec duo pia Opuscula referemus? Ad *Nicolaum Kemph de Argentina* anno 1440. *Gemnicensem* nunc abolitam in *Austria* Carthusiam ingressum, postque gestum ibidem, tum *Pletriaci* in *Carniolia* et *Gyrii* in *Styria* infer. Prioratum a. aet. centesimo, seculi vero 97. vivis exemtum. Numerosa ejus Scripta percenset *Bern. Pezius* in *Biblioth. Ascet.* T. IV. in *Praef.* et T. XI. posthumo supplectus ab Amico editore. Ex his Opusculum nostrum Dialogicum vul-